

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1583.

PARS QUINTA.

669

ac imprimis qui studiorum causa peregrinantur, amanter complectamur. Grata enim DEO & omnibus bonis ac intelligentibus est eorum voluntas, qui doctrinae causa in longinquiora etiam loca proficiscuntur, ut gravissimè Isocrates præcipit: *Μὴ κατὰ τοὺς χρόνους ἰδίῳι ποσὶν ἢ πρὸς τοὺς διδάσκοντι ἢ χεῖριστοι ἰπαυτοκρατορῶν.* Hoc consilio cum nobiles hi & literati adolescentes Stiriaci, ex ultimis Christiani orbis provinciis, Turcæ finitimis, in superioris Germaniæ Academiis proficiscuntur: & præceptorem virum gravem & eruditum, M. Israël Stälinum, Tubingensem, comitem habeant, justissimum est, tales hospites omnibus benevolentia officii prosequi. Reverenter itaq; oro, ut per ministrum ipsis, quæ in vestra urbe sunt *ἀξιοδίντου*, monstrati, & alia officia exhiberi curetis, *ὅσα τε ποσὶ ἀδελφικοῦ ποσὶν ἐπ' ἀποδοσῆ φιλῶντες.* Mea vobis ac vestris studia & officia vicissim perpetuò constabunt. Benè ac feliciter valete. Die Augustini, Anno 1583.

David Chytræus.

LXVI.

S. D. Reverende & carissime compater.

Nondum accepi, quæ Alberto Clampio te tradidisse scribis; nondum enim ille ad nos accessit. Candorem tuum laudo, quod ex naturæ tuæ bonitate de aliis judicans, virum bonum esse non dubitas. D. Mentonem intelligo de Ungaricis quibusdam controversiis suis cum Cretzero, isthic censuras quasdam edere velle. Id ne fiat, propter Ecclesiæ tranquillitatem rogo. D. D. Hartmanno adjunctas pagellas de Carolo V. à te exhiberi, & simul quærari ex eo velim, de Matthæo Veho, Ballenbergensi, quem ante decennium isthic cum Sylvano captum & ex custodia elapsum, denuo receptum & proscriptum fuisse intelligo. Is nunc apud nos vivit. Idè de causa carceris & proscriptionis illius certi aliquid cognoscere velim. Clarissimo viro, Dn. D. Scoppero, salutem dico, & paulò post de Historia ipsius scribam; De Argentinenfibus negociis à te expecto. Benè vale. Rhodopoli pridie *ἡμέρας τῆς ἡμέρας*

1. 5 8 3.

David Chytræus.

LXVII.

Salutem in Servatore Christo, Reverende & Clarissime

D. Doctor, amice & frater conjunctissime.

Quantum Ecclesia morte piissimi Electoris vulnus acceperit, equidem assidue cogito. Tametsi enim ad vos præcipuè ea calamitas videtur pertinere, tamen

PPPP 3

& vul-

& vulgatum illud cogito: Tua res agitur, paries cum proximus ardet: & experientia superiorum temporum nos docuit. mutationem religionis in Palatinatu nostræ etiam Ecclesiæ obfuisse. Sed VIVIT DOMINVS LVX nostra, qui & vos clementer respiciet, & universæ suæ aderit Ecclesiæ secundum promissionem. De cæteris rebus & vestris & nostris, utinam coram possemus vel ad horam colloqui. In quo nos spem collocaveramus ejus negotii conficiendi, ex quo initio Maji inter nos agebatur: is & meam & bonorum spem omnem deserit, & ab aliorum arbitrio totus pendet, vel pendere potius vult videri, ut aliqua saltem ratione, mutata sine causa mentis invidiam declinet. Scribam autem de re tota apertius, cum quo loco res vestræ videntur futuræ esse, intellexero: de qua re ut ad me, quantum tibi videbitur, scribas, etiam atque etiam te oro. Rev. & Clar. Viris, D. Collegis tuis Sal. officiosiss. adscribo. Bene in DOMINO una cum honestiss. conjugæ & liberis vale, Cl. vir, frater conjunctissime. Argentorato, 10. Nov. 1583.

Tuus in DOMINO frater

Joh. Pappus.

Pro missa mihi Apologia Latina gratias reverenter ago: jam plusquam dimidiam partem relegi, & tibi pro hoc labore Ecclesiæ impenso gratias non minores ago, & spero eum exteris profuturum.



LXIIII.

S. D. Reverende & clarissime Domine Doctor.

VÈrè judicia Domini abyssus multa, quæ nemo justè reprehendit; plenè nemo comprahendit; Consilium enim DEI occultum esse potest, iniquum esse non potest. Etsi igitur causas consilii divini, quo principem optimum & pietissimum vix dum restituitis ecclesiis & scholis suarum ditionum rebus humanis exemit, intelligendo assequi non possumus, justas tamen & rectas esse non dubitamus; & cum Daniele precemur; Tibi Domine justitia, nobis autem בְּשֵׁת הַצְּנִי. Apud nos pestilentis luis contagia tres autumnos serpunt, nec tamen ex Academia plures duobus sustulerunt. An patriæ Academia, post pestem recollecta, & quis jam Sturmianæ controversiæ status sit, à te doceri cupio. Inter Suecum & Moscum triennii induciæ factæ sunt. Apologiæ Germanicæ, quam ad me misisti, proœmium adhuc deest, quod si commodè poteris unà